

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius

**Sánchez, Francisco
Schoppe, Caspar
Perizonius, Jacobus
Franequera, 1687**

Cap. VIII. - De declinatione

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

comparatione alijs urbis. Si igitur velis con-
jungere cum Roma, hoc nomen magna, fi-
gnificas esse aliam Romam parvam, quod in-
telligi non potest. Dices igitur, Roma est ma-
gna, subaudi, urbs. Sic Petrus est albus, subau-
di, homo, nam albus est, non quatenus Petrus,
sed quatenus homo est. Scio Pseudosophistas no-
stri temporis aliter hæc disputare: sed ex ipso Ari-
stotele discant se delirare, nos recte sentire: nam
in prima Philosophia lib. 5. cap. 9. *Singularia,*
inquit, *non suscipiunt determinationem, quia de plu-
ribus non affirmantur:* & lib. 7. cap. 4. & ibidem
cap. 15. sic ait: *Singularium non est demonstratio,*
*neque definitio, ac proinde neque scientia. $\eta\epsilon\iota\ \tau\alpha\ \iota\sigma\iota$
 $\pi\alpha\varsigma\ \delta\epsilon\ \tau\omega\ \kappa\alpha\theta\omicron\upsilon\lambda\omicron\upsilon$, id est, semper enim est omnis de-*
finitio universalis. Hebræi præterea notant, no-
mina propria ideo non recipere articulos,
quia satis per se nota sunt. Nec te moveat,
quod Athenas doctas dicimus; vestros Metellos;
nostros Cicerones; nam nulla pluralia verè dici
possunt propria: nam Athenæ olim fuere
multæ athenaides, hoc est, olivæ, vel olivæ-
ta, quæ postea in unam urbem coaluerunt.
Sic Parisi, multi pæsi. Sic Burgi, multi Pyr-
gi, id est, turres. Sic patria mea Brocæ, quo
nomine antiquitus dicebantur mapalia. Nec
nomina Deorum propria dici debent, quum
pro re cui præsumt inveniuntur: ut dubio Marte;
dura Tellus; ardens Vesta.

CAP. VIII.

De declinatione.

Quid sit declinatio apud Grammaticos,
melius jam usu intelligitur, quàm de-
finitione explicatur. Declinatio, inquit,
C 5 unt,

1. Analo-
logia.

unt, est casuum variatio. Nos nullam posui-
mus definitionem; contenti dixisse, ex differen-
tiis nominis oriri declinationem. Varro innu-
meras formas declinandi proponit; ut à Te-
rentius, Terentii: ab equo, equito: ab ho-
mine, homunculus: à capite, capitulum: ab
homine, homines: à prudentia, prudens:
ab ingenio, ingeniosus: à pugnando, & cur-
rendo, pugiles, & cursores. Hæc carptim
ex Varrone: sed rursus Varro; *Vocabularium*,
inquit, ut homo, & equus, declinationum genera sunt
quatuor: unum nominandi, ut ab equo, equite:
alterum casuale, ut ab equo, equam: tertium au-
gendi, ut ab albo, albius: quartum minuendi, ut à
cista, cistula. & declinationum ordinem alium
ponit Varro, alium alii; & fortasse commodio-
rem, quam quo utimur. Sed in re levi nolumus
esse morosi; Prisciani rationem omnes ferè se-
quimur, qui à vocali genitivi ordinem de-
clinationum exequitur. Pronominum verò
declinationes constituere ineptum Grammati-
corum est commentum: sunt enim irregularia,
quæ isti vocant Pronomina; neque ad declinatio-
num regulas fuerunt revocanda; neque quic-
quam ad analogiam faciunt, quemadmodum
reliqua paradigmata.

Vide su-
pra c. 2.

C A P. IX.

Nulla esse nomina Heteroclyta, aut
Heterogenia.

IN anomalis reliquis ridiculi sunt Gramma-
tici, qui Centauros, & Hermiaphroditos
effingunt; nullum enim nomen est, quod
in plurali degeneret à singulari, aut in gene-
re,